

www.e-rara.ch

Adriani Turnebi adversariorum tomi III ...

Turnèbe, Adrien

Basileae, 1580-1581

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-21>

C.V. Errico Memmio supplicum libellorum in regia magistro Adr. Turnebus S.P.D.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

C. V. Errico Memmio supplicum libello
 RVM IN REGIA MAGISTRO
 ADR. TVRNEBVS S. P. D.



Decem Aduersariorū libros subita & repentina opera confectos, & pene immaturo abortu, antē in lucem editos, quā satos atq; conceptos, ausi sumus consecrare ampliss. & doctiss. non tantū huius ætatis viro, sed omnibus superioris memoriæ, & consequentis æui, qui honorib. & literis excelluerunt, aut excellent, cōparando, quos ille tanto fauore prosecutus est, tantaq; beneuolentia cōplexus, vt nisi iam antē animo quanti essent percipissent, iudiciū corrūpere meum potuerit, efficereq; vt alicuius æstimationis esse censerem: sed cum & in ijs scribendis inornato genere dicendi mihi vtendum esse putassem, neq; stilo indulgendū censuissem, ne viles tanquā personas purpura coccoq; vestirem, & intelligerem obseruatiunculas leues,

tritias, vtitatas, de medio sumptas, in eos cōmentarios à me relatas esse, tanti viri auctoritate nihil deprauatus, non pluris istam (vt ita dicam) mercē quā quanti est feci, quā & à me inornatā & vilem esse profectam sciebam, & non nihil aliorū etiam culpa inquinatam atq; vitiatā. Nam præterquā quod non satis liberata mendis & purgata in apertum prodierunt Aduersaria, tum cum imprudente me, ignaro, inscio, eis præscripserunt titulum, qui arrogancia sui & stultitia, me perpetua traduceret apud omnes ordines infamia: vt non tantū meorum peccatorum, quæ illis in libris nimis multa scimus esse, culpa præstanda esset, sed etiam alienæ stultitiæ & temeritatis luenda pœna. Eum ego titulū vt legi, deum immortalem, quā acerbè grauerēq; tuli? vt propè animum despondi, vitæq; renuntiaui: & tamen cum eo nomine apud tanti mali auctores conquererem, vtrò iniuriam exposulabant, quod ingratus essem in eos, à quibus laudatus & ornatus essem. Vos, inquam, istam laudē ducitis, qua qui afficitur, turpius fœdiusq; se cōtaminari putat, quā vlla censoria nota: ne multa, ita sibi in ea inscriptione belli videbantur, vt vix tandem summis precibus et obsecrationibus impetrare potuerim, vt de libri principio tam fœda macula labesq; tolleretur. Sed tamen, si in his offensionibus & incommodis liber ille nihilominus summi viri suffragio & fauore dignus est existimatus, qui nomen suum epistolæ appellatione conqueri debuit cōtaminatum, audebo profectō te hac quoq; epistola Memmi affari, quem æquè sciam literarum qualiacunq; monumenta gratè libenterq; accipere solere: nec postulabo vt huic abiectissimo & vilissimo scripto locū in nobili illa tua bibliotheca vllum assignes. hunc certè librū non tanto honore dignamur, vt in tãto lumine & splendore inter omnia omnis æui ornamenta & decora ponatur, cum tenebras & caliginem tinearum & blattarum potius incolere debeat, aut ad falsamentarios amandari, & vt inquit Flaccus,

*Deferri in vicum vendentem thus & odores,
 Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

Sed vt eum rus ableges, vt habeas, cum rusticaberis, quod rideas, & intelligas mihi potius ornandi tui facultatem deesse quā voluntatem. Nam cum tu mihi pro tua singulari liberalitate quibuscunq; rationibus potes, cōmodare soleas, ingrati animi notam effugere nō possem, nisi gratæ saltem voluntatis significatione & testificatione beneficia tua & promerita agnoscere viderer. Huius autem scriptionis instituenda hæc ferè causa mihi fuit: vt verni sunt quidā, quidam æstiu, aut autūnales fructus, sic secula quæq; proprios literarum & doctrinæ peculiare foetus & fructus parere solent. Nostra autem ætate nemo paulo diutius in humanitatis studijs versatus non sibi hac ratione scribendi ludendū esse existimauit, nemo sibi non ex hoc tãquam mustaceo laure olā esse petendam putauit. Cuius me cōsuetudinis quidā tanquam æstus rapuit & absorbuit, diutiusq; ferè quam quenquā alium nugari delirareq; coegit. Explicari autē verbis nō potest, quā qui has obseruationes in auctorib. animaduertunt, & literis mandant, sibi præ alijs sapere videantur, quā præ se alios omnes soleant contemnere & despicari, quā sibi beati & fortunati videri, & alter alterum oppugnatum libenter ire. Itaq; in re lubrica, & diuersos plerunq; sensus & explicatus notationesq; recipientes, si quid alicui titubasse videaris aut vacillasse, præstò continuò est, qui labantem impellat, & iacentem calcet, nec tibi parcat, aut peccatum dissimulet, sed errorem tuum vituperet, & incessat, & de te, vt de iusto hoste, triumphet: qui & ipse mox se alij aut tibi triumphandum præbet. Nam quod de poetis dixit Flaccus, quanto verius de scriptoribus obseruationum vsurpari potest?

*Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem,
 Lento Samnites ad lumina prima duello,*

EPISTOLA.

Sic alij alios oppugnantib. & in hoc genere superare contendentibus, innumerabiles libri profeminati sunt: morbiq; contagio ad iurisconsultos quoq; peruasit, qui relicto penè iure & vadimonij, se totos in hac ludicra palestra consumunt & conterunt: quanquam hic eos plus diligo, quàm in litibus: mallemq; de vocabulis inter Grammaticorum cathedras disputarent, quàm in subfellijs tribunalium ius venditarèt, Romanorum praesertim, quod non solum plebem, sed & nobilitatem contra equum & bonum multis hominibus vetigalem reddit & obnoxiam, atq; his legibus obstrictam tenet, quarum scientiam discere nunquam possit, ab alio semper emere cogatur. Ego autem reprehensionibus adeo non indulsi, et nomini aliorum ita semper pepercit, nemo ut merito conqueri possit, se te cta aut aperta insimulatione à me lacepsitū esse: sed similis viatoribus, qui quò profecti sunt, quàm citissimè peruenire student, nec ad diuerticula deflectunt, rectum semper quantum potui iter tenui, nec unquā de via declinaui, ut in alicuius nomen famamq; grassarer, improbum ratus ex aliena infamia & ignominia iniquè gloriam laudemq; captare: quanquam quæ gloria comparari potest ex emendatiunculis & nuda verborum enodatione, quæ mihi videtur infima literarum esse provincia: qua tamen in re ita nonnulli sibi placent, seq; circumspiciunt, ut si unum forte aut alterum in aucto-ribus locum cicatrice obduxerint, decem ulcerarint, se dignos arbitrentur vel ouatione vel triumpho. atq; huius laudis aliqui non satis illi quidem eruditi, non tamen omnino indocti, ita studiosi cupidiq; sunt, ut nō suas sed furtiuas obseruatiunculas, quas clā malis artibus sublegerunt, aut ex alijs didicerunt, suo nomine publicent, per sceius famam ingenij quærentes, laudem animi ingenui amittentes. Non deest, qui cum ipse scribere non possit, steriliorq; sit quàm platanus, instruat aliquot locorum explicatione alios, & subornet, à quibus canatur, alij vituperentur. Quod ad me attinet, neq; mea magnopere venditavi, neq; aliena mihi adscripsi, sed suis aucto-ribus, ne furtum facerem, reddidi. Huic tamē libro magna interuenit calamitas. Nam cum exemplar eius subitum et tumultuarium multis esset locis deletum, inculcatum, transpositum, malè scriptū, opere librarij in transcribendo sæpenumero manum meam adsequi non potuerunt, & ferè toto eo tempore, quo excusus est liber aut exscriptus, lenta quadam morbi tabe me miserum in modum excruciantis, ac ne nunc quidem dimittentis laboravi: quo factum est, ut qui aliquas mendas aliorum aucto-ribus delere voluerim, vltro segetem errorum in scriptis meis obseuerim. Quo æquius est lectorem in plerisq; ignoscere mihi, veniamq; dare, & culpam in operas morbumq; conferre, qui emendationem impedierit. Quod si quis tam iniquus est & iniustus, ut seueritatem in nos censoriam dstringat, nec excusandos putet, rubiginosum eius dentem, aruginosumq; liuorem non tantifaciamus, ut propterea, ut inquit ille, sine vncto cœnandum nobis putemus: & animi tui candore, Memmi, freti succum nigre lolliginis facile eluemus, quem patronum nobis non defuturum existimamus, libriq; huius, qualiscunq; est, defensorem fore speramus clientis tui. In clientelam enim & fidem tuam se confert multis iustisq; de causis. Nam & cum tu de literis ita bene meritus sis, ut nemo ferè huius ætatis melius, mihiq; et collegis meis re tam sæpe profueris, & imposte- rum prodesse velis, bibliothecamq; omni librorum egregiorum copia refertissimam instruxeris, & tãquam Musarum & Apollinis ædem construxeris, idem etiam in omni disciplinarum liberalium & honestarum genere excellas, cui nam potius quàm tibi se in clientelam commendaret, aucto-ribus sui & literarum patrono & bene merito? Hunc igitur librum ne iam meum, sed tuum putes esse, & ab obtrectatorum, quos multo plures quàm laudatores nostrum seculum tulit, malignitate defendere velis & vindicare. Vale. Lutet. Parisiorum, 5. Kalend.

Maias, Anno Domini 1565.

ADRIANI